

tiam, ut jucundissimo odore caelos perfuderit, eoque delectatus unigenitus Dei Filius ex accubitu suo, ex sinu videlicet aeterni Patris, in uterum Virgineum descenderit. Odor (ait Bernardus ser. 42.) bona opinio est, quae ad omnes pervenit; ut Christi sis bonus odor in omni loco, spectabilis omnibus, amabilis omnibus. Sponsa vero humilitas, tanquam nardus, spargit odorem suum, amore calens, devotione vicens, opinione redolens. Hujusmodi esse, inquit, Mariae odorem.

1996 Verum aridit hic valde Alani de Insulis apud nostrum Del Rio interpretatio isthaec: Dum esset Rex in accubitu suo, id est, Dominus Jesus in requiem assumptus, nardus mea dedit odorem suum, id est, fama mea, quae prius erat humilis, & dejecta, per totum orbem est diffusa. Ita evenit planè; ut Christo jam in caelis commorante, laetissima Deiparae notitia universum perfuderit orbem. Diffudit enim, & quotidie diffundit de alabastris pectoris sui suavissimum famae suae odorem, ac si Nardi unguentum è pyxide diffunderet, quod domum totam odore impleret. Propterea Mariae nomen Bernardus appellat oleum effusum, memoriale in generatione & generationem. Imò ea Canticorum verba cap. 1. 1. Oleum, vel, unguentum effusum nomen tuum, Alanus Christo tribuit, & de fama Virginis celeberrima bellissime explicat, ita: Cujus nomen praekonatur mundus, nisi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Matris? Cujus humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi Virginis Mariae? Cujus virginitas nobis datur in speculum, nisi Virginis incorruptae? Et eleganter fama, & gloria nominis ejus, oleo effuso comparatur: quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.

Subinde S. Bonav. in Palterio Virginis merito clamat: Celi enarrant gloriam tuam; & unguentorum tuorum fragrantia in genibus est dispersa. & inferius, in extremis terrae auditum est nomen ejus. Et Idiota de Contemp. Virg. c. 5. In praedicatione Apostolorum in omnem terram exiit sonus tui sanctissimi Nominis.

1997 Sed enim verò, alium sensum illorum verborum; Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum, libens subitico, praemittens pro in accubitu esse Hebraicè mefebi, à radice sabab, id est, circumire, gyrare, circumdare. Unde verti potest: Dum esset Rex in gyrationibus, in circuitibus, in conversionibus suis. Quid tunc? Nardus mea, ex Syro Chaldaeo transferas, ut docti observant chirotheca mea dedit odorem suum. Dicitur sanè cum intuitu ad projectionem chirothecae in obsidione civitatum, cujus meminere Rabbinii, & expositores Psalmi 59. 10. Agunt enim Regum morem fuisse, cum obsiderent urbem aliquam bene munitam, proicere chirothecam intra illam, ut significarent non antea recessuros quam cepissent. Ait ergo Deipara: Dum esset Rex in circuitione, in vallo, in obsidione sua, chirotheca mea dedit odorem suum: chirotheca nempe pretioso imbuta odore: Guantes de ambar; guantes de olor. Etenim Rex Regum, & Dominus Dominantium Christus Jesus sedens ad dexteram Patris, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, Apostolos virosque Apostolicos misit per universum mundum, ut oppida, civitates, & regna circumirent, & obsiderent, interim clan-

gentes praedicationis tubis, ut olim Sacerdotes Hebraeorum in obsidione Jerichuntinae urbis. Quid item legionum Dux Jesus meditatus, quo vallatae urbes suae subiciantur dirioni? Sanè ab odoratissima chirotheca praesidium habuit, à Virgine nempe Matre, quae gratissimo notitiae suae odore quoquoaversus sparsa subjectas fecit penè omnes Christi imperio nationes; ut olim Arca (quae Mariae symbolum erat) circumducta per circuitus murorum Jericho cives debellavit. Jubilemus (ait Damascenus Ora. 2. de Dormit. loquens de B. Virgine) in Arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Jerichuntini, contrariorum potestatum infesta munitiones. Sic etiam fugam capiunt inimicè sustinentes tantam Marianae notitiae fragrantiam, quae Gentes à religione Christiana alienae ad Christum advolant.

1998 Splendor poterit huic nostrae explanationi conciliari ex Pf. 59. 10. Moab olla spei mea: in Idumaeam extendam calcamentum meum, mibi alienigenae subditi facti sunt. Symmachus legit: olla securitatis meae. In nonnullis Codicibus, aula spei meae. Audiendus statim Ambrosius de Institut. Virg. c. 12. & 13. qui haec ad Virginem, ejusque fragrantiam spectare putat. Moab aula spei meae, vel olla spei meae: utrunque enim in diversis codicibus invenitur. Aula regalis est Virgo, quae non est viro subdita, sed Deo soli. Est & olla uterus Matris, quae spiritu ferventi, qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit Salvatorem. Deinde c. 13. sic monet: Excipite ex hac Moabitide olla gratiae caelestis unguentum, nec vereamini ne deficiat, quod exinanitum est, & plus redundat; quandoquidem in omnem terram odor ejus exiit. Agnosceis indubiè, Deiparam ex Ruth Moabitide descendentem, ollam securitatis divinae, ollam unguenti odoratissimi & effusi plenam appellari? Expende nunc quae Pfaltes subicit: In Idumaeam extendam calcamentum meum. R. Emmanuel extulit; quem multi alii sequuntur: proiciam chirothecam meam: illam eandem, quae dedit odorem suum, dum Christus esset in circuitione, in vallo, & obsidione sua; fragrantissimam nimirum Mariae notitiam; quae sparsa, & quasi suave olente chirotheca projecta, alienigenae subditi sum. Vel, ut Hieronymus legit, mibi serviunt, amici facti sunt. Quod de subjectis Christi gentibus Patres explicant, pellectis odoramento Virginis fame. Ut enim verissimè S. Cyrillus Alex. S. Cyril. xan. to. 6. Concilii Ephesini c. 6. Salve Virgo, per quam universa creatura Idolorum vesania detenta, ad veritatis agnitionem perducta est. Et S. Epiphanius de laud. Virg. Per te crux resplenduit per universam terram. Per te mors conculcatur & spoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia caelestis.

1999 Non hinc abeam, quin rem observem cum S. Basilio notatu dignissimam ex Epist. S. Basilii. 175. Ars quaedam est aucupandi columbas, videlicet talis. Ubi unam ceperunt, qui capiedis illis student, cicurem illam reddunt, & ad humanum convivium assuefaciunt. Deinde unguentum alas illius perungunt, sicutque conjungi agrestibus. Illa verò per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert ejus, cujus ipsa est domestica. Bene olentem namque sequuntur & reliquae, atque ita in potestatem columbarii veniunt. Quorsum haec? Constat ex c. 6. Canticorum v. 7. sexaginta esse Reginas in Ecclesia orthodoxa, & octoginta

S. Bernar.

Alanus.

Maria nomen oleum effusum toto orbe.

Alanus.

S. Bonav.

סבב סבב

Deipara, in- star chirotheca odoratissima, subicit Christo nationes.

Per arcam Mariae umbram subiecit Jericho. S. Damal.

Odorifera spei nostra & securitatis olla Dei para. S. Ambros.

Per Mariam ad veritatis notitiam perducta gentes.

octoginta concubinas, & adolescentularum non esse numerum. Sic appellantur fideles animae, quae alibi saepe columbarum nomine indicantur, praesertim Isaia: 60. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbae ad fenestras suas? LXX. verunt: sicut columba cum pullis ad me. Ubi S. Hieronymus: Miratur Ecclesia volare ad se gentium turbam toto orbe terrarum, & assumptis alis Spiritus sancti festinare ut ingrediantur Ecclesiam. Subiecit Sponsum columbarii Dominus eo c. 6. Cant. v. 8. Una est columba mea, perfecta mea. Pagninus cum epithali ex Hebraeo vertit, una ipsa columba mea: numquam alia, numquam aliena, numquam alterius. Pro perfecta mea Hebraicè est thamathi, id est, vera mea. LXX. alias reddunt & Levit. 25. 30. ex quorum mente jurè hic veritas, tota mea. De Virgine Matre fermo est, quae una ipsa, inter omnes, Dei solius semper fuit, tota Dei, tota domestica, nunquam agrestis. Columba haec, vel à suae Conceptionis momento, inuncta & imbuta à Deo fuit suaveolenti divinitatis & gratiarum unguento, quod in eam effusum largissimè est, cum Verbum divinum carne indutum intra sua viscera clausit, superveniente Spiritus sancti unctio. Ut enim Ambrosius lib. 3. de Virginitate. Hoc unguento uncta est Maria, & Virgo concepit. Virgo peperit. Sic inuncta domestica Dei columba orbem perfudit universam fragrantia unguenti, jucundissimo suae notitiae odore usquequaque disperso, quo Gentilissimè, agrestem quidem, ac liberi pastus gregem, ad possessionem transfudit ejus, cujus ipsa est Domestica columba, & una ipsa, bene olentem namque fecerat: sunt reliquae, & in potestatem columbarii avolarunt.

Ad hunc Marianae famae odorem spectant ea quoque, quae supra edisseruimus de odoratissimis primogenitis Virginis vestimentis à num. 727. & quae de Tabernaculi sanctificatione, à n. 1310.

S. Ambr.

Sacra hieroglyphica ex odoratis aromatibus petita ab Ecclesiastico, immaculatam Mariae Conceptionem spectant, necnon celebrem tanti mysterii notitiam.

SECTIO LI.

2000 CUM Mater Ecclesia Spiritu sancto imbuta ad B. Virginis purissimam Conceptionem praesecta Siracidis verba referat, haud alienum ab Spiritu sancti consilio, Ecclesiae sententia, & instituto nostro faciemus, si illis symbolis ex vario aromate, varioque odore petitis, quam possimus brevissimè, Deiparae immunitatem, sparsamque ejus toto orbe notitiam explicemus.

Primò, cinnamomum, utpote summè calidum (unde à verbo cana dictum, id est, cum zelo amare) aptum extat Mariani amoris symbolum, quo exarsit in Deum vel à suae Conceptionis puncto; ut probavimus ad vers. 12. in illustratione textus pro Deipara. Addendum hic ex Plinio lib. 12. cap. 19. Cinnamomi radicem magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat D. Augusto coniux Augusta, aurea patere impositam, ex qua guttura edite amnis omnibus in grana durabantur. Dioscorides verò l. 1. c. 15. contra bestias, quae venenum expuunt, venenaeque omnia, praestantissimum esse cinnamomum, scribit. Et c. 73. P. Idaph. de Flores in Eccles.

Maria amore in Deum exarsit à puncto sua Conceptionis. Plini.

Sic Serpentis morsum elusit.

cinnamomum unguentum adversus serpentium morsus illiniri ait. Certè quidem Virgo sanctissima eo divino amore, quo sacri instar cinnamomi vehementer exarsit, serpentem illum terriberrimum quam longissimè in stygia aberuncavit ergastula: hujusce amoris vel prima illa radice, quam in Marianam conceptionem jactam alibi diximus, venenatissimam bestiam strangulavit: vel una radice illius pretiosissima guttula, odoreque ejus suavissimo (ò quantis patris aureis, gemmatis plusquam Augustis dignissima!) ferum Draconis caput ad lethum usque contrivit. Hujus ardentissimi cinnamomi fragrantia, hujus amoris notitia, hujus immunitatis fama universam Ecclesiam summa jucunditate perfudit. Alia in B. Virginis laudem ex cinnamomi viribus perita promit Hugo Visio. Ser. 47. & Rikelus Ecclesi. 24.

2001 Secundò, in Aspalatho tria consideremus; formam, odorem, & vires. Plin. l. 12. c. 24. modicam arborem appellat. Et l. 24. c. 13. humiliorem fruticem. Roviulus in Hist. plant. l. 18. c. 41. Humilem fruticem suaviter odoratum. Hanc aspalathi brevitatem Rabanus Maurus ait esse Humilitatis symbolum. Odor aspalathi ab omnibus commendatur, à Siracide signatim: Sicut aspalathus aromatizans odorem dedit. Odorem hunc in radice maxime vigere, vel illud arguit, quod eam Plinius ait ad odores unguentorum praecipuè exquiri; radix ejus unguentis expetitur. Observat etiam, in quocunque frutice curvetur arcus caelestis, eandem, quae sit aspalatho, suavitate odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quandam, quam ex Sole conceptam addit lib. 17. c. 5. De aspalathi dotibus sat sit dicere, quoties aspalathi radix unguenta nobilitat (nobilitat verò pleraque, eaque illustriora, Rosaceum, Narcissinum, Cyprinum, Glucinum) ea quidem unguenta vitiosis, concitatique patrocinantur vulvis, atque adeò humanam conceptionem fortunant, felicitant, beant. Ita Dioscorides l. 1. de Medici materia capp. mibi 52. 62. 64. 66.

2002 Quid ergo subinde? Videlicet id hoc loco agebat Siracides Propheta, ut B. Virginis primam originem, quam in aspalathi radice meditabatur, nullo superbiae illius originariae fastu tumidam assereret; sed potiùs jucundissimo quodam humilitatis odore fragrantem exhiberet, quo universam Ecclesiam mirabili quadam suavitate perfunderet. Digna planè, quam caelesti arcu, tanquam regio diademate divinus coronaret Sol: à quo mirabiliter concipiendo tam ineffabilis est Mariae affusa suavissima humilitatis gratia, sicut à concepto sole aspalathus tam eximiam concipere odoris suavitatem Physiologia docet. Promovit porrò humillimi aspalathi odorem caelestis iridis diadema, purissimaeque Marianae humilitatis odorem divinus Sol e-

tiam coronando, cohonestando, regiaque gloria profequendo, ad admirabilem fragrantiam provexit: ad notitiam illam toto orbe clarissimam, ex qua universae generationis Mariae humilitati caelitus respectae, tantique honoris celsitudine commedatæ, suavissimis beatitudinem vocibus angratulantur: Quia respexit humilitatem ancilla sua; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et quidni faciant, cum odoratissima hujusce purae humilitatis fragrantiam ad se Y y 3 quoque

Rovili. Aspalathus humilitatis symbolum odorifera.

Maria à sua conceptione jucundè humilitatis odore fragrans.

Arcus caelestis Deipara à divino Sole efformatus.

quoque omnes jucundissime redundare per-  
sentiant. Quemadmodum enim ceteras etiam  
plantas caelesti iride, solis nempe forma ta-  
ctas, aspalathum redolere dixit Plinius; sic  
certe divinus Sol, quos sua velit imagine  
collustrare, Marianam affundit purissimam  
humilitatis fragrantiam; ut humillimam Ma-  
riae puritatem redoleat, quem Sol ille be-  
nigne respexerit. Merito itaque S. Bona-  
ventura in Carmine, quod Laus B. V. Ma-  
riae inscripsit, dum caelestem arcum Deiparam  
canit, subdit:

S. Bonav. *Nubibus cali cerneris  
Arcus, quae nos illuminas  
Resurgens, morum miseris  
Exempla cunctis feminas.*

Rursus, aspalathum in Mariana Conceptione  
canit Ecclesia, radice quidem caelesti suavi-  
tate fragrantem, humanae conceptionis opi-  
ulatione pollentem; ut ejusdem Matris &  
Virginis jucundissimam conceptionem ab ipsa  
illa prima origine supramundani Solis gra-  
tia odoratissimam commendat, congenito-  
que ejusdem gratiae praesidio felicissimam.  
Maria quippe divino nutu concipienda tan-  
tae virtutis erat, ut Annae matris vulvam, dis-  
cussis sterilitatis obstaculis, ad felicem concep-  
tionem praemuniret. Praestitit hoc odorata, &  
humilis fruticis radix, eximia, inquam, praesti-  
tit Mariae humilitas.

2003 Tertio, de myrrha electa, prima, praeci-  
pua, mundissima satis dixi ad V. 12. in illu-  
stratione textus pro Deipara: & ostendi in-  
ter myrrhae vires amarissimae, quasi praestanti-  
torem, praeservatricem celebrari ab omnibus.  
Quo designetur Deiparae praeservatio ab omni  
peccati labe, & corruptione per Christi  
passionem amarissimam. Sed habeo quod hic  
observem; nempe myrrham hanc & a Filio in  
Matrem emanare ad immunitatem a peccato  
originali; & a Matre in nos ad praeservatio-  
nem a peccatis actualibus. Illud primum ex  
Pl. 44. 9. mihi claret: *Myrrha & gutta &  
cassa a vestimentis tuis, subaudi, perfuunt,*  
perfluunt ab humana Christi carne in Matrem  
ejus Mariam, cuius est velligio immunitatem  
commendat (ut supra late effeci) astium Re-  
gina a dextris tuis in vestitu deaurato. Etenim  
per myrrham a Christo perfluentem, Christi  
intelligo promerita, quibus ex amarissima Cru-  
ce Matrem praeservavit a peccato originis.  
Per guttam, sive potius aloem, ut multi trans-  
ferunt; & est amara uti & myrrha, atque  
inter purgantia simplicia numeratur ab Au-  
ctoribus supra relatis in enodatione textus,  
communem capio humani generis redemptio-  
nem per Crucem, in qua Christus purgationem  
peccatorum fecit, ut loquitur Paulus ad Hebr.  
1. 3. imò & praeservationem a plerisque etiam  
peccatis actualibus: propterea Aloes non mo-  
do purgantem, sed secundariam, post myr-  
rham, praeservantem virtutem habere dicitur.  
Per cassiam, calidissimam arboris cutem (*ca-  
nellam* nos dicimus) accipimus ardentissimum  
illum Christi amorem, quo & Matrem praeser-  
vavit ab originario vicio, & communem salu-  
tem operatus est, purgationem peccatorum faci-  
ens. Quod autem illustrior evadat symboli  
explicatio, accuratissimum Psalmographi ar-  
tificium observa; qui cum uno & eodem Hie-  
roglyphico, ex myrrha & Aloë conflato, du-  
plicem vellet passionis Christi effectum praedi-  
cere, nempe Virg. Deiparae praeservationem

singularem, & communem hominum servatio-  
nem, ingeniosissime quidem tum utriusque  
aromatis vires, myrrhae praeservatricem, A-  
loës verò purgatricem expendit, tum nomi-  
na signanter delegit, myrrhae nomen mor sin-  
gulare, quo singularem praeservationem obfi-  
gnaret; Aloes autem *abaloth* plurale, quo ge-  
neralem & plurimorum expiationem innueret:  
neque enim tara accurata utriusque nominis  
singularis & pluralis distinctio otiosa est. Prae-  
servans igitur Christi myrrha ipsi ejus Matri  
singulariter ad immunitatem profuit. A Filio  
cruci affixo in Matrem myrrha amarissima, sed  
praeservatrix profuit.

2004 Sed & ipsamet Virgo myrrha electa  
odoratissima a Spiritu S. nuncupatur. Quo-  
nam autem sensu Mariam interpretemur myr-  
rham praeservantem? An quòd licet verum sit,  
eam a Filio fuisse praecipue praeremptam  
& praeservatam, ipsa tamen se ipsam quodam-  
modo cooperando praeservaverit, dum ad  
praeremptionem illam & praeservationem in  
illo ipso momento conceptionis credendo,  
amando, obediendo, seipsam disposuerit?  
Nonnulli certè putant gravissimi Theologi  
hanc dispositionem, tanquam electam myr-  
rham, a Virgine adjunctam Praeremptoris  
sui meritis, quo plenior esset praeservatio à  
Redemptore, & conredemptrice proveniens.  
Nisi illud ardeat magis; propterea B. Virg.  
myrrhae conferri, quòd ejus quoque praeser-  
vatio ad homines uberrimè redundarit, quibus  
ipsa aliam praeservationem, a peccatis scilicet  
actualibus copiose promeruerit, & impetrarit.  
Nam & hujusce non passivae tantum, sed ac-  
tivae etiam, ut ita dicam, Marianae praeserva-  
tionis notitia, fama, gloria, tanquam electae  
myrrhae odor universam Ecclesiam mirificè uti-  
litate, & suavitute perfudit. Scilicet Deiparae  
praeservatae, & praeservatrici jure optimo exi-  
miam adscribas puritatem, pietatem, castita-  
tem, integritatem, animorumque munditiam,  
quae in ejus cultoribus resplendent. Unde re-  
ctissime Rikelus in illa verba, *Sicut myrrha ele-  
cta,* &c. ar. 25. ita fatetur: *Sicut optima myr-  
rha amara est, & a corruptione praeservativa,  
ac boni diffusiva odoris; sic B. V. Maria in a-  
dorandi filii sui acerbissima passione, vehemen-  
tissima compassionis amaritudine exitu plena, &  
peccatoribus jugiter condolens, & innumerabili-  
bus gratiam compunctionis obtinuit. A corrup-  
tione quoque peccati praeservat, & suavem fun-  
dit odorem; in tantum ut pie memoriae portam  
nunquam sine instita sibi suavitatis respiratione  
introeat. Denique observa, hanc myrrham,  
hanc tam passivam quam activam praeservatio-  
nem MARIAM vel nomine ipso praese ferre;  
cum ab Hebraico myrrhae nomine *mor* derive-  
tur. Vide dicta n. 1314.*

2005 Quarto, *Storax* Mariani conceptus  
purissimi solum extat. Storacem, sive sty-  
racem ad serpentes fugandos uti Plin. docet l.  
12. c. 17. Cass. Dion. lib. 13. Agricul. c. 8.  
& Q. Serenus canit:

*Vis & mirificos cantus perdiscere odores,  
Accensis quibus arceat terribis serpens?  
Aut styracemuras, aut ari vulturis alam.*  
Medetur etiam storax vulvae praecclusae duritiae  
laboranti. Quid plura? Ipsa Dei Mater, cui  
haec canebat Siracides, divinae secum gratiae  
vires attulit, quibus & matrem Annæ vul-  
vam referaret, & terribim inde propelleret  
Draconem; ne scilicet aut naturae vitium illud,  
vel

Myrrha praeservatrix Marianam spectat praeservationem singularem.  
Pl. 44. 9.

Maria etiam seipsam quodammodo praeservavit.  
Et suos etiam a peccatis praeservat actualibus.  
Rikelus.  
Storax ad Marianam spectat conceptionem.

vel optatissimam conceptionem praepediret,  
vel culpae originariae labe a serpente disputa-  
ta purissimam commacularet. Cumque *storax*  
Graecè sit *jaculum*, sive *ferrum haste affixum*;  
perinde fuit Serpenti *styracis* ille Mariae  
odor, ac *aculum*, sive *lancea*, qua percus-  
sus in capite, ad Virgineos pedes provolu-  
tus est: ipsa conteret, Hebraicè, *percutiet*  
*caput tuum*.

2006 Quinto, *Galbanum*, sive *chalbanum*,  
cum succus sit odoratus ferulae lacteus; cum  
nidore suo serpentes fuget, & vulvae subsidio  
sit, (ut Plin. ait l. 12. c. 35. Diosc. l. 3. c. 96. &  
alii) merito ab Ecclesiastico dixeris adsociatum  
*styraci*, quo similes utriusque aromatis vires  
commendaret. Quas in praecedenti Hierogly-  
phico ad conceptionem Marianam cum retri-  
lerimus, nunc ex Galbano impensè auctas  
commendamus. Utrouque enim aromate Spi-  
ritus sanctus & Annae vulvam ad concep-  
tionem divinitus apparatus deguit, & stygium  
colubrum longè inde abactum asseruit. Etenim  
*lacteus succus* est galbanum, odore fragrans  
jucundissimo; lacteum alimentum videtur desi-  
gnare ex uberibus Deiparae virgineis, quo la-  
davit Christum, & quo à longè fragran-  
te tartareum serpentem fugavit, profliga-  
vitque? Verissima Jaël, quae in taberna-  
culo suo, id est, utero matris, Sisaram sae-  
vum bellatorem lacteo succo protravit, ex-  
tinxit Judi. 5.

2007 Sexto, *ungula*, seu *onyx*, cum conchylii  
tegumentum ut odoris eximii, cum *suffitu* ex-  
ciet *feminas vulvae strangulatu oppressas*, ut  
loquitur Diosc. l. 2. c. 10. cum ejus odor  
*vulvae pennis mirè resstat*, ut scribit Plin. l. 32.  
c. 10. cum etiam suavem ideò spiret odorem,  
quòd *nardi pabulo vescatur*, ut ait Dioscorides;  
nardi verò *adversus serpentes succurrit*, *dis-  
cuiatque vulvarum strangulatus*, ut testatur Pli-  
l. 21. c. 10. ab illa utique duplex adest Maria-  
nae conceptioni auxilium, tum conceptionis  
locus emundatus, eximioque suffitu nardico  
excultus; tum serpentis venenum procul inde  
amandatum. Concipiebatur enim Maria ut es-  
set concha & tegumentum corporati Verbi:  
quid mirum, adeò jucundè fragraret?

2008 Septimo, *Gutta*, quam succum esse  
*Aloes* probavimus, à *putredine vindicat etiam*  
*cadavera, praesertim myrrhae admixta*, ut scri-  
bit Mesues Damasc. l. 2. de medica. simplic.  
cap. 1. Et hoc quidem loco aloeticam guttam  
admiscuit myrrhae Siracides noster, quò vim  
ejus ad praeservationem ex vicina myrrha  
proveheret. Levini Lemnii in explicat. Her-  
bar. Biblicarum ea est observatio, *Aloe putre-  
dini obsistit*. Certè haec Aloëtica gutta Ma-  
rianam a peccato originario praeservationem  
satis indigitat. Caeterum, quia Aloe inter  
purgantia simplicia omnium extat praestantis-  
sima, & inter praeservantia secunda post myr-  
rham, ut in enodatione textus probavimus;  
hinc est quòd Aloës symbolo communem  
humani generis salutem, non solum à Chri-  
sto, sed ab ejus Matre Virgine provenien-  
tem, Siracides explicuerit. Filius è Cruce pur-  
gationem peccatorum fecit: Mater juxta Cru-  
cem administra fuit salutis universi, redem-  
ptrix humani generis, ita ut cum Christo pa-  
tiente ipsa quoque patiens communem in sa-  
lute mundi effectum obtinerit, uti loquuntur  
Ecclesiae Patres.

2009 Hanc nostram communem expiatio-

Galbanus similiter.  
Dioscor.  
Plin.  
Ungula quoque ad immunitatem Mariae spectat.  
Mesues Damasc. Per Aloem designatur communis humani generis salutem à Jesu & Deipara proveniens.

nem *Aloës* voce bellè designatur; Hebraicè  
enim est *Abaloth* cadens a verbo *abal*, id est,  
*expandere, extendere*, ac proinde sonat plurale  
id nomen *expansiones, extensiones*; aptatà qui-  
dem naturae herbae appellatione, quae ubi-  
que Gentium plurimum sese expandit, atque  
feraci admodum extendit proventu. Aloem  
quippe in Asia, Arabia, India, atque in aliis  
locis, praesertim maritimis copiosissime pro-  
venire, auctor est Dioscorides l. 3. c. 22. Nec-  
non & in Caesalyria, uti ex Galeno addit Her-  
molaus ad Dioscoridem in Corollario 446. *La-  
cina* passim in Italia, *Levinus* nuper citatus in  
Hispania & Germania; *Robilius* lib. 16. Plan-  
tarum c. 28. in plerisque Europae locis; *Me-  
sues* l. 2. c. 1. in Perlide, Armenia, Arabia,  
India; quibus addit in scholio *Clusius* Ameri-  
cam Aloem multiplici se radice propagantem;  
quam Gomara etiam in Historia Mexicana  
describit habentem quadraginta folia, tegu-  
larum propemodum amplitudine, & eodem  
modo caniculata, tantaque circa Mexicum  
copia nascentem, quanta apud Hispanos vi-  
tes. *Garzias* demum lib. 1. Aromatum cap.  
2. frequentissimam in Cambaya, Bengala,  
Socotora, & plerisque eois Indiae regionibus  
provenire testatur. Igitur *herba humano gene-  
ri saluberrima, ubique hominis ferax*, apud  
Europaeos omnes, Hispanos, Italos, Ger-  
manos; apud Aethiopes, Persas, Armenos, Arabes,  
Syros; item apud Indos tam eos, quam occi-  
duos feliciter proveniens, aptissimum quidem  
est solum ad significandam communem,  
universalissimamque humani generis expia-  
tionem, & salutem, quae per amarissimam,  
non solum Christi, sed Deiparae etiam pas-  
sionem invecita est. Mariae certè coopera-  
tio talis ac tanta in omnium hominum salute,  
ad universas Orbis nationes universè  
pervadit; sicut Aloes, cui ipsa assimilatur,  
apud omnes ubique Gentes laetissimo pro-  
ventu extensa propagatur. In hujus rei illu-  
strationem plena sunt Sanctorum scripta ob-  
vius testimoniis.

2010 Octavo, *Libanus non incisus*, seu *thus*  
indivisum, integrum, quod *atomum* Graeci vo-  
cant, Virgineae immunitati comprobatae spe-  
ciosè deservit. Praeter ea, quae de thus non  
inciso superius praenotavi, illud à Dioscori-  
de l. 1. c. 8. & nonnullis aliis refertur; quòd  
fluxionibus vulvae conferat, atque adeò con-  
ceptam genituram contineat. Nimirum Vir-  
ginis merito, quae thuris arbori confertur, id  
habuit Anna Mater, ut conceptum foetum  
mundissimum confoveret. Sed quia celebre  
thuris in sacra Scriptura solum est, ut  
religiosum in Deum cultum, & quidquid ad  
illum pertineat, apprimè significet; ad hanc  
nos quoque religionem, qua Deipara Virgo  
à primo conceptionis articulo Deum prose-  
cuta est, thuris Hieroglyphicum referendum  
putemus. Evam uno illo peccato Originario  
id patrasse, ut religione se divina infidelis ab-  
dicaret, plerique Patres sentiunt. Et hoc igitur  
emendasse debuit, quae *primigene Matris*  
*Eva* correclio extitit, uti vocat Damasc. Orat.  
1. de ejus Nativitate. Ab hoc itaque religio-  
so Dei cultu vitam illa auspiciata est seipsam  
totam thuriferam à primis originis mundissi-  
mae radicibus.

2011 Porro cum duplicem thuris dotem  
commendent Physiologi in enodatione tex-  
tus relati: alterum, quod *oculorum caliginem*  
discu-

Aloe ubique Gentium copiose proveniens.  
Thus reli-  
giosi cultus  
symbolum.  
Maria tota  
thurifera à  
primo Con-  
ceptionis ar-  
ticulo.  
Damasc.